

## O R D O

### HONORUM IIS QUI LAUDE DIGNI SUNT HABITI DEFERENDORUM COMITIIS MAXIMIS.

Scripta præmiis dignata quum suum quisque auctores recita-  
verint, Decanus eos Cancellario in Cathedrâ assidenti coram  
sistet, singulosque ita commendabit.

D. Honoratissime Cancellarie, vosque dignissimi Senatores, com-  
mendo vobis hunc meum Scholarem in Facultate Artium, ut propter  
morum probitatem et { musas ( ) feliciter cultas ; }  
{ disputationem ( ) sermone habitam ; }  
præmio munificentia viri (A. B. C.) quotannis proposito, ex  
auctoritate Amplissimi Ordinis, decoretur.

C Ego, auctoritate mea et Senatus Academici, istud quo mihi  
tanquam dignus commendaris præmium libens tibi adjudico.

Item cæteris denandos honoribus, sive quis beneficium aliquod  
ex iis quæ certis doctrinis assignata sunt, meruerit, sive in  
classem, quam vocant, primam, ab Examinatoribus annuis relatuz  
fuerit. Professores suos quisque candidatos ordine commen-  
dabunt.

PROF. Honoratissime Cancellarie, vosque dignissimi Senatores commendo vobis hunc meum Scholarem in Facultate Artium, ut propter morum probitatem et in studium positum egregiosque factos processus, beneficio annuo munificentia præbito, ex auctoritate Amplissimi Ordinis in annum proximum, ornetur.

¶ Ego, auctoritate meâ et Senatus Academici, istud quo mihi tanquam dignus commendaris, beneficium, libens tibi adjudico.

PROF. Honoratissime Cancellarie, vosque dignissimi Senatores commendo vobis hunc meum Scholarem in Facultate Artium, ut propter morum probitatem, et in studium positum egregiosque factos processus, aliquâ Amplissimi vestri Consensus gratiâ dignetur.

¶ Ego, auctoritate meâ et Senatus Academici, hunc tibi, librum dono honoris ergo.